

ab eis detergens fordem. Iracundum  
animum placare creditur.

*De Cyaneo Græcis, Cœruleo Latinis, vul-  
garibus autem Lazuli vocato  
lapide. Cap. XXI.*

**M**agnam profectò autoribus pe-  
perit obscuritatem, legentibus  
verò perplexionem, cœrulei seu cya-  
nei nominis diuersa significatio: alijs  
scilicet sub hac voce cœruleam hare-  
nam cum cyanea Gemma cōfunden-  
tibus: alijs autem solam eadem dictio  
ne metallicam arenam complectenti-  
bus. Plinius nanq; naturalis Historiæ  
lib. 33. capite vltimo ita inquit: Cœruleū  
arena est, huius tria genera fuere anti-  
quitus: Aegyptium quod maximè p-  
batur: Scythicum, hoc diluitur facilè,  
cumq; teritur in quatuor colores mu-  
tatur, candidiorem, nigriorem, cras-  
siorem, tenuiorem ve. Præfertur huic  
etiamnum Cyprium. Accessit his Pu-